


NUMMUS CASTRENSIS,

FRANCISCI GALLIARUM REGIS,
POST RECEPTUM MEDIOLANUM
Cufus: Anno Christi 1515.

LUdovico XII. ipsis anni 1515. Calendis febr. extincto, successit in Regno Franciscus hoc nomine Primus, Angolismensis Dux, agnatione regi proximus, cui Claudia ejus filia uxor erat. Is cum singulari animi præditi magnitudine, non unum duntaxat, quem debellaret sibi orbem deposceret, eodem die, quo regno initiatus est, Mediolanensis ducatus titulum simul assumpsit: foedus cum Venetis confirmavit. Helvetios quoque per eos dies tentavit: qui legatos audire noluerunt, & nisi promissa serventur, in Burgundiam sese aut Delphinatum moturos, minabantur. Inter hæc Cæsaris, Arragoniæ Regis, & Mediolanensis principis legati ad defensionem Italiæ, foedus cum Helvetiis percusserant, quibus sese & Pontifex, cui in foedere servatus erat locus, frustra à Gallo sollicitus conjuxerat. Sed Rex apparatu bellico à Ludovico jam antea facto, regni sui opibus, insuper & Venetorum amicitia fretus, variantibus Helvetiorum consiliis, Italiam ingressus, plerasque Insubriæ civitates ad obsequium redegit. Aderant ei præter Gallicam nobilitatem Lotharingiæ & Geldriæ principes. Cū vero Palitia superatis Alpibus Prosperū Columnam inopinato adventu cepisset, Rex Mediolanum rectā ducens, cum Helvetiis pacisci cœperat. Sed novæ aliquot copiar, majus ex bello & prædis emolumentum sperantes, omnem pacis actionem impedivēre. Mox cū popularibus suis conjuncti, ad quadraginta hominum millia in Gallos ducunt. Jam optimā diei parte exactā, Helvetij omnis moræ impatientes, magno cum hostium contemptu, pugnam invadunt: fitque acerrimum prælium, multique mortales utrinque occumbunt, donec neutrobi, dato receptui signo, milites stando & arma tenendo defatigati, quasi tacito consensu, pugnam excessere, cum in multam noctem jam certum esset. Postea die iisdem animis ad manus reditum. Sed ea nocte Rex tormenta in idoneum locum subduci iusserat, & Livianum cum levi equitatu vocaverat. Is ardente jam pugnam Helvetios à tergo aggressus, ita turbavit, uti omiſſa Victoriæ spe, paulatim, quod omnem Venetorum exercitum cum